

NOTA. Author debuit distinguere inter *distantem* conscientiae *speculationem*, relativum ad legem ac ejus dubietatem directam; & inter *distantem ultimum practicum*, relativum ad legem legislatoris reflexam, eam videlicet, qua ordinat, quid in dubio agendum sit. Vide V. *Conscientia Opinio*.

CASUS I. Wolfgangus dubitat, an teneatur ad restitutionem 25. florenorum: ideo consulit Parochum suum, qui habetur pro viro docto, ac plurimum versato in moralibus: hic illi respondet, non dari obligationem restituendi.

3. Si Wolfgangus nullam habet prudentem rationem dubitandi de veritate responsionis a Parocho datae, illique sincere exposuerit suum dubium, ac cum ea animi dispositione, ut ejus opinioni voluerit se conformare, tuta conscientia poterit sequi responsum Parochi. *Pontas*.

CASUS II. Zephirinus locavit alteri domum suam, quae cum postea per incendium graviter laesa ac tecto spoliata fuisset, petit reparationem damni a locatario, qui afferit, incendium ortum esse casu fortuito, ad quem non teneretur. Hoc non obstante compositionem ineunt, ut uterque ferat damni dimidium: sed Zephirinus sciens, locatarium mediocri admodum esse fortunae, eumque timere expensas litis, dubitat, an non hic ipse metus fuerit ipsi motivum compositionem ineundi.

3. Si vere dubium est, an ex culpa locatarii exortum fuerit incendium, Zephirinus potest ab eo recipere damni dimidium. Si vero certum sit, ex nulla locatarii culpa incendium fuisse ortum, tenetur Zephirinus ad restitutionem locatario, si quid pro damno ab eo recepisset, non obstante compositione. *Pontas*.

## DUELLUM.

Concilium Tridentinum ex universa Christiana Republica duellum eliminatum excommunicationis sententiam pronunciat contra Principes, & quoscumque alios, qui inter Christianos singulari conflictui locum concesserint, & duellum permiserint. Ipsi duellantes & patrini eorum praeter excommunicationem incurrunt etiam proscriptionem bonorum suorum, perpetuam infamiam, poenam in homicidas latam, privanturque sepultura Ecclesiastica, si in ipso conflictu decesserint. Illi quoque, qui vel circa factum, vel circa jus duellandi consilium praebent, aut quovis demum modo ad duellum quempiam incitant, uti & spectatores excommunicantur, & perpetuae maledictioni subduntur. Hoc Tri-

Tridentini decretum confirmavit Clemens VIII. Anno 1592. Clerus Gallicanus in Conventu 1654. Constitutionem edidit contra duellantes & ad duellum provocantes, provocationemque scribentes, insinuantes, aut deferentes: In hac constitutione Episcopi absolutionem a censuris contra hos omnes prolatis sibi reservant, easque per totum Regnum ipso facto incurri declarant.

CASUS. Potestne ille, qui in duello partes secundantis oblit, recipere Sacros Ordines?

3. Non potest, nisi prius a Papa obtinuerit dispensationem ab excommunicatione & infamia, cui Concilium Tridentinum omnes duellantes subjecit. *Fromageau*.

E.

## EBRIETAS.

1. *Ebrinus* vocatur, qui ex vino immodice hausto, vel alio liquore amittit usum rationis; *Ebriofus* vero vocatur, qui immodice bibendi consuetudinem habet.

2. Nullum est vitium, quod hominem brutis familiorem reddat, quam ebriofitas, utpote cum talis nec cum hominibus nec inter homines agere vel conversari possit.

3. *Ebriofitas* est peccatum mortale ex sua natura, nec nisi rarissime potest fieri veniale. Licet enim potus necessarius sit ad conservationem vitae, natura tamen limites ac mensuram praescripsit, quam nec bruta animalia transgrediuntur; & homo, o dedecus! Et creatura ratione praedita, o rem indignissimam! hos limites transiit! Quod autem malum aggravat, tenetur voluntarie sese inebrians in iudicio divino de omnibus peccatis aliisque malis, saepius uti ex Historia discimus, pro dolor! plus nimium funestis, quae ex ebrietate sequuntur. Hinc quilibet Christianus, imo quilibet homo honestatis amans, debet exhorrescere hoc vitium.

CASUS I. Aurelius parum vino assuetus inebriavit sese, cum ignota ipsi fuerit vis vini, nec experimentum habeat, quantum illaesa ratione ferre possit. Peccavitne per hoc mortaliter?

3. Quando taliter fuit animo comparatus, ut maluisset se privare potandi dulcedine, si praevidisset malum sibi exinde eventurum, peccatum ipsius foret tantum veniale juxta *S. Thomam* 2. 2. q. 88. Art. 5. ad 1. ubi ait: *De ebrietate vero dicendum est, quod secundum suam rationem habet, quod sit peccatum mortale. . . Sed quod sit peccatum veniale, contingit propter ignorantiam quandam vel infirmitatem: puta cum homo nescit*



nescit virtutem vini aut propriam debilitatem, unde non putat se inebriari. Tunc enim non imputatur ei ebrietas ad peccatum, sed solum superabundantia potus. Potest ergo dici, malum hoc in presenti casu ipsi tantum accidisse contra intentionem, & per accidens. Et talis fuit, uti communiter creditur, ebrietas Noë. Peccat tamen certe mortaliter, qui vel aliunde vel propria experientia edoctus de effectibus vini certa quantitate hausti, sive qualitatis ipsius vini, sive debilitatis proprii temperamenti ratione habita, in ebrietatem incidit. *Idem 2. 2. q. 150. Art. 2. in Corp. Pontas.*

CASUS II. Paschalis Dionysium ad prandium suum invitatum, ebrium reddit absque tamen intentione sua; estne propterea particeps peccati Dionysii?

ꝛ. Quando prudenter potuit judicare vel suspicari Paschalis, fore, ut temulentus fieret Dionysius, si ad largiorem potum ipsum provocaret, evidens plane est, quod participavit de peccato Dionysii. *S. Antonin. 2da Parte Summæ theologicæ tit. 6. c. 3. in fin. quando vero non absque fundamento credidit, nihil tale ipsi eventurum, dicendum est ipsum non peccasse, saltem mortaliter. S. Ambrosius in Can. Sane 7. t. 15. q. 1. Pontas.*

CASUS III. Theotimus ex vino totus temulentus, sæpius juravit & blasphemavit sanctum Dei nomen, vel etiam contumeliis & plagis affecit personam quampiam; estne horum omnium peccatorum coram Deo reus, licet tunc mentis & rationis compos haud fuerit.

ꝛ. Quando ebrietatem contraxit ex sua culpa, excessus ab ipso commissi, quippe cum voluntarii sint in sua causa, reum constituunt ipsum coram Deo, tametsi in se non sint voluntarii. *S. Thomas 2. 2. q. 150. Art. 4. in corp. Item S. Damascenus Lib. 2. de fid. Orth. c. 24. Per ignoracionem, ait, tum demum aliquid invite fit, cum nos imprudentiæ causam haudquaquam præbemus, sed casu ita res contingit: etenim si quispiam vino obrutus cædem perpetravit, errore quidem & inscitia ductus eam admisit, at non item invite; ignoracionis quippe causam, hoc est, ebrietatem ipse accersivit. Pontas.*

CASUS IV. Epiphanius homo haud ita multum supra plebejam sortem evectus familiaritatem inivit cum tribus quatuorve militum Præfectis, bibulis & dies noctesque in popinis trahentibus, qui ipsum ad computationes suas, ut semper erant, immodicas provocarunt. Recusat quidem; sed unus ex illis præsentem ipsi mortem minatur ni pareat, & æqualibus haustibus commilitonibus satisfaciat. Servandæ itaque vitæ gratia vino ad temulentiam usque se ingurgitat. Peccavitne mortaliter?

ꝛ. *Non faciamus mala ut veniant bona* ait Apostolus ad Romanos 3. v. 9. nec datur casus aliquis, quo quis committere possit mortale peccatum cujuscunque mali metu. *Innocentius III. in cap. Sacris 5. de his, quæ vi metusve causa fiunt. lib. 2. tit. 40. ait: Cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere. Quare Epiphanius non potuit se inebriare absque peccato mortali. Pontas.*

CASUS V. Oliverius tertiana jam multo abhinc tempore decumbens crapulam sibi accersivit juvandi vomitus gratia, qui ex judicio medici credebatur potentissimum remedium contra febriles affectus. An peccavit mortaliter?

ꝛ. Prætextus curationis nequaquam excusat ipsum a peccato mortali. Vomitus posset etiam provocari per aquam tepidam aliisque pluribus modis. *S. Thomas 2. 2. q. 150. art. 2. ad 3. ait: Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur, quod sit potus inebrians; quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat, & ideo propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate. Pontas.*

CASUS VI. Patroclus posteaquam vino aliisque liquoribus spirituosus immodice, usu tamen rationis illæso se ingurgitavit, commisit peccatum mortale contra castitatem, id quod in similibus circumstantiis sæpius ipsi accidit. Contraxitne peccatum mortale ebrietatis vel Intemperantiæ, quando hodie ad parem excessum hausto vino, non tamen propterea in luxuriæ peccatum prolapsus est?

ꝛ. Dicimus Patroclum in proposito casu non esse excusandum a mortali peccato; quia ex propria experientia didicit veritatem illorum, quæ S. Hieronymus olim scripserat, verborum: *Venter mero æstuans cito despumat in libidines*; non enim usque adeo potuit helluando excedere, quin pene certo periculo se exposuerit in vitium illud incidendi: nam *qui amat periculum peribit in illo. Pontas.*

CASUS VII. Persuasum sibi habet aliquis, per crapulas liberandum se certo aliquo morbo, videns quod alii optimo cum successu eodem remedio usi fuerint, Potestne absque peccato hoc facere?

ꝛ. Non licet ipsi citra gravem noxam remedio hoc uti. *De Lamet.*

Vide *Intemperantia.*

CASUS VIII. Parochus quidam curam pastoralem exercens in aliqua regione, quæ vinearum cultura excellit, & in qua proin ebriositas passim grassatur, sequentes proponit quæstiones, ne immodicæ severitatis vel nimix indulgentiæ reus arguatur.

*Dict. Cas. Conf. Tom. I.*

O o

ꝛ.



R. Decisæ fuerunt hæ quæstiones in Sorbona 12. Januar. 1720.

QUÆSTIO I. Quidnam sentiendum de peccato ebriositatis, & quænam est illius enormitas?

R. Ebriositas potest habere varios gradus. Datur certum genus prorsus manifeste excessu peccans; quique eodem delinquant, evidentur sunt in statu peccati mortalis, neque ad Sacramenta admitti possunt, nisi per sufficientia & certa signa atque argumenta veram suam conversionem probaverint.

Scriptura S. non sine horrore loquitur de ejusmodi ebriositate, ejusque designat sequelas, quæ sunt, quod *familias turbet* & evertat per amissionem bonorum temporalium, *vitam abbreviet*, hominem reddat *stupidum*, sitque plurimorum aliorum peccatorum fons & origo.

Ebriositas ex sua natura est peccatum mortale, uti S. Facultas Theologica Parisiensis decidit in prima parte sui *corporis doctrinæ* Art. 78. ad mentem doctrinæ D. Pauli ad *Galat. 5. v. 19. D. Thomæ 2. 2. q. 150. art. 2. in Corp. & Augustini* in diversis locis operum ipsius.

QUÆSTIO II. Quid intelligitur per peccatum ebriositatis? solumne tunc contrahitur peccatum, quando amittitur usus rationis, vel potus vomitu rejicitur?

R. Manifesta jam est ebrietas, quando usus rationis amittitur, ejusdemque indicium est vomitus. Sed non est circumscribenda tam angusti limitibus ebrietas. Dantur quippe homines quibus quantuscunque in potu excessus nihil omnino nocet; quia caput habent validum, usque adeo ut si etiam ad redundantiam usque perpotarent, nullam propterea molestiam, nullum ebrietatis vestigium persentiscunt. S. JOANNES CHRISOSTOMUS *Homil. in Matth. 44.* ait: *toxicum esse quidquid est ultra necessitatem.* Præter præceptum prohibens ebrietatem, aliud etiam datur præceptum imperans *temperantiam*; atque D. THOMAS, principium ebriositatis esse ardentem appetitum vini, qui appetitus ad usum immoderatum hujus potus pertrahit. Ebriositatis ergo peccatum in vini immoderato usu & nimio ad illud affectu & passione consistit. Porro certum est dari plurimos, quorum ratio nunquam turbatur, qui nunquam ad vomitum provocantur; qui longe ultra necessitatem, imo etiam decorum ac honestatem vino se ingurgitant, nimio affectu ad illud feruntur, eidemque immodice se affuefaciunt. Peccati ergo ebrietatis juxta S. Thomam rei sunt.

Præta-

Præterea multi sunt bibuli, qui excessibus suis id solummodo intendunt, ut sensualitati suæ satisfaciant, solamque voluptatem, quam ex potu percipiunt, præ oculis habent, quod dubio procul peccatum est juxta art. 79. *Corporis doctrinæ* Facultatis Theol. Paris. part. 1. ubi habetur: *Comedere vel bibere, aut alias sensuum oblectationes querere propter voluptatem, peccatum est.* Ex quo sequitur, falsissimo niti principio eos, qui asserunt tunc solum committi ebrietatis peccatum, quando ratio amittitur, vel vomitu vinum egeritur.

QUÆSTIO III. Contrahiturne ebrietatis peccatum, quando post liberalissimum potum sentit quis æstuarè sibi caput, exciccata linguam, vaporumque ex vino nubes ad cerebrum ascendere, vel cum functionibus ac ordinariis suis laboribus obeundis jam plane ineptum se experitur, licet integrum adhuc rationis usum habeat?

R. Non possunt hujusmodi homines excusari a peccato; Certe *Isaias* Propheta Cap. 5. v. 11. terrificum ipsis *Væ* interminatur: *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Non est ergo recedendum a principio *D. Thomæ*; quod tales homines violentissima passione ferantur in vinum, quod eodem immodice utantur; quod plane sufficit ad hoc, ut quis peccati ebrietatis reus coram Deo constituatur.

QUÆSTIO IV. Possuntne ii, quibus adeo valida est Capitis complexio, ut decumana pocula absque læsione capitis valeant mactare, bibere, quantumcunque placet, absque ebrietatis peccato?

R. *Isaias* Propheta cap. 5. v. 22. quæstionem hanc decidit. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

QUÆSTIO V. Suntne absolvendi & admittendi ad Sacramenta ebriosi consuetudinarii tertii & quarti generis?

R. Sunt indigni absolutione Sacramentali, nec admittendi sunt ad Ecclesiæ Sacramenta, donec post seriam probationem constet, pravam hanc consuetudinem esse emendatam, ipsorum conversionem esse sinceram, firmumque dignos penitentiae fructus agendi propositum eos concepisse. *Nolite*, inquit *Christus* Matth. 7. v. 6., *dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

QUÆSTIO VI. Quomodo tractandi in confessione caupones, qui potum ministrant horis indebitis durante Missa parochiali, & vesperis; qui in cauponas suas passim admittunt ebriosos ac bibones, flagitiosos nebulones, cantus ob-



scenos, verba lasciva & juramenta jugiter eructantes, item patresfamilias qui helluando uxorem ac liberos ad incitas redigunt, filios qui irrita parentum prohibitione popinas frequentant? possuntne potum præbere diebus jejunii & tempore Quadragesimæ iis, quibus familia domi est, & nec pretio comparare sibi vinum opus habent, nec aliam ob causam quam exhilarandi se vel negotiationis cum sociis exercendæ causa popinas adeunt?

R. Omnes leges tam divinæ quam humanæ prohibent, ne caupones ministrent potum iis temporibus, de quibus in præsentî quæstione fuit mentio, vel vinum præbeant similibus farinæ hominibus, de quibus sermo erat; idem enim foret ac concurrere ad ipsorum peccatum, ejusdemque participes se facere, utpote cum causa sint ac occasio tot tantorumque scelerum ab ipsis commissorum. Diebus jejunii & Quadragesimæ potum dando hospitibus palam faciunt, parum se curare quod leges ac præcepta Ecclesiæ violentur, quid quod hoc modo præcepta hæc transgrediendi voluntarie media præbeant.

Quantum ad nundinationes, si dies jejunii & Quadragesimæ excipias, non forent reprehendendi, qui uno vel altero vini haustu contenti essent.

Dum dicunt caupones vendendo suum vinum minutim & ad mensuram, majori suo emolumento ac lucro illud se distracturos, quod ad sustentationem rei familiaris necessarium habent, vanus prætextus est, qui non potest excusare, quod ex tot aliis circumstantiis criminofum est.

NOTA. Cum in Germania a plerisque personis privatis non habeantur vineæ ruri, nec cellæ vinarie aut cerevisiarie domi; & conversatio honesta cum variis suæ conditionis hominibus sit valde utilis, frequentatio popinarum ex suo genere non est mala. Si tamen Caupones advertant scurrilia, scandalosa, excessus contra legem divinam vel humanam, tenentur remedi, quantum possunt etiam cum suo damno vel periculo, aut monere & vocare eos, qui juvare possunt, ministros justitiæ, Superiores; & si hoc non faciant, sunt in statu damnationis.

QUÆSTIO VII. Parine rigore uxores Cauponum, uti ipsorum mariti tractandi sunt, quando in supradietis casibus vinum hospitibus præbent? Obedientia, vel metus, ne pessime habeantur a suis maritis, poteruntne ipsas excusare coram Deo?

R. Quando equantur spiritum ac principia suorum maritorum, ut ipsi horum peccatorum se participes reddunt, estque eisdem usum Sacramentorum pari modo cum ipsis agendum. Tenen-

Tenentur quantum possunt impedire commercium, quod tot peccatorum origo est; quando hoc faciunt, nec aliter tolerant, quam quia similia Impediendi potestate carent; vinumque apponere ebriosis recusant, secus judicandum est. Dum asperere propterea a maritis tractantur, partem habebunt in illa beatitudine de qua loquitur Christus: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum celorum.*

QUÆSTIO VIII. Quomodo se gerere debet Confessarius circa illos, qui cauponas frequentant, temporibus indebitis illic se detinent, per notabilem diei noctisque partem ibidem hærent, helluantur, jurant, impia vel obscena cantant, & plerumque ad similes excessus perpetrandos Dominicas & festos dies eligunt? Nonne popina talibus personis est proxima peccandi occasio? an non prohibendus ipsis absolute est cauponarum ingressus, & a Sacramentis arcendi, ni abstineant?

R. Respectu omnium talium personarum caupona est proxima peccandi occasio; omnesque sunt indignæ Sacramentis, donec dimittant hanc occasionem: porro frequentatio talium locorum diebus festis & Dominicis est circumstantia aggravans. Juxta *S. Carolum Borrom.* quando quis bis terve promisit se ultra non visitaturum hæc loca; puta tempore, modo, & cum consortio indebito, aut sibi periculoso, nec tamen stetit promissis, debet facere actualem formalem renunciationem, antequam absolutionis gratia ipsi concedatur.

QUÆSTIO IX. Vinitores secreto domi suæ vina sua vendentes tenenturne iisdem legibus, quibus caupones subjacent? suntne eodem modo uti caupones tractandi, dum leges has violant?

R. Sunt eodem prorsus modo tractandi uti caupones; imo his multo magis delinquent, quia cum peccent contra Ordinationes a Magistratu politico introductas, exponunt se periculo confiscationis sui vini, quæ poena multorum peccatorum ipsis potest esse occasio, & causa damnorum ipsorum familiis perniciosorum.

QUÆSTIO X. Caupones ex propria experientia convicti, quod, quæ ipsorum ignavia est, desit ipsis animus & fortitudo observandi regulas hætenus præscriptas, tenentur renunciare periculose huic professioni? possuntne admitti ad Ecclesiæ Sacramenta nisi eidem effectivè & actu renunciaverint?







β. Quando tales opiniones sunt contrariæ Scripturæ, SS. Patribus, sacris Canonibus & sanæ rationi, easdem sequi perniciosum foret. Clerus Gallicanus damnavit sequentem propositionem tanquam temerariam, scandalosam, perniciosam, erroneam, atque ad Epicuri scholam relegandam:

*Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obstit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

### ECCLESIA.

1. Ecclesia est cœtus fidelium, qui sub directione legitimorum Pastorum unum efficiunt corpus, cujus caput Christus est. Ecclesia dicitur etiam locus, ubi fideles ad exercitia suæ Religionis conveniunt, & in hoc sensu sumitur hic Ecclesia, cujus duplex datur species, parochialis & episcopalis.

2. Explicabitur autem hic 1. Quibus diversis casibus violetur Ecclesiæ sanctitas. 2. Quomodo fiat polluta, & quando de novo benedici aut reconciliari debeat. 3. Quomodo & a quo id fieri oporteat.

3. Quo in honore habeantur Ecclesiæ in Gallia, patet ex variis declarationibus regiis in favorem Ecclesiarum, & Rectorum earum editis. *Prima* de anno 1650. prohibet militibus, ne in ædibus Presbyterorum sua diversoria figant. *Secunda* 1657. concernit immunitates Ecclesiarum. *Tertia* 1661. disponit de necessariis Ecclesiarum reparationibus. *Quarta* ejusdem anni permittit Ecclesiis & earum fabricis recuperationem omnium bonorum absque auctoritate regia alienatorum. *Quinta* 1702. eundem favorem exhibet personis Ecclesiasticis.

CASUS I. Ecclesia parochialis vix non penitus collapsa, reedificata est ex iisdem lapidibus.

β. De novo consecranda est. Ratio est; quia Ecclesia sic noviter ædificata non censetur eadem, quæ prius erat. Verum si muri tantum per partes corruissent, aut solum tectum per accidens incendio periisset, haud opus est nova consecratione: consecratio enim aut benedictio non inhæret tecto aut operi tignario, sed parietibus Ecclesiæ. Reconcilianda item est Ecclesia juxta S. Antoninum Summ. Theol. part. 2. tit. 12. c. 6. §. 8. si dubitatur de ejus consecratione; eo quod nullum desuper testimonium, aut documentum scriptum habeatur. *Pontas.*

CA-

CASUS II. Arbogastus parochianus a quinque aut sex annis nominatim excommunicatus ac publice denunciatus subitanea morte obiit, quin ab excommunicatione fuisset absolutus. Andreas recens Parochus id nesciens eum sepelivit in Ecclesia.

β. Ecclesia vere est polluta. *Quibus viventibus*, ait S. Leo, non communicavimus, mortuis communicare non possumus. Eodem modo pollueretur Ecclesia, si in ea hæreticus publicus sepeliretur. Sublato ergo excommunicati cadavere, si ab aliis sepulchrorum corporibus distingui potest, talis Ecclesia, vel cœmeterium, per aquam benedictam reconcilianda est. *Pontas.*

CASUS III. Alevinus excommunicatus denunciatus gravissima ægritudine correptus vocat Parochum, eique coram septem aut octo personis sincerum de præfenti statu suo dolorem manifestat: spondet insuper, se exacte confessurum, ac omnia præstiturum, quæcumque pro poenitentia injungerentur, si post duas horas denuo inviseretur a Parocho. Huic vix domum reduci repentinus Alvinus nunciatur obitus.

β. Non potest sepeliri in Ecclesia absque violatione legum ecclesiasticarum ac profanatione ipsius Ecclesiæ: non obstantibus doloris indicibus Alevinus manet ligatus vinculo excommunicationis, donec a legitimo Superiore solvatur, ut declarat Innocentius III. Ocyus ergo juxta eundem Papam Parochus se convertat ad Superiorem pro impetranda in favorem defuncti absolutionis gratia, qua obtenta primum poterit sepeliri in loco sacro. *Pontas.*

CASUS IV. Plinius sacerdos nominatim excommunicatus ac denunciatus publice celebravit in Ecclesia non obstante censura.

β. Ecclesia ex hoc non est profanata, consequenter nec reconcilianda Sylvius in 3. part. S. Thomæ q. 83. art. 3. quæsto 1. nec quidpiam reperitur in jure, ex quo profanatio Ecclesiæ in hoc casu possit colligi. *Pontas.*

CASUS V. In Ecclesia S. Claudii consecrata ab Episcopo propter crimen simoniacæ publice excommunicato per mensem Missæ Sacrificium ac officium divinum fuit celebratum.

β. Plurimi Auctores veteres & moderni putant hanc Ecclesiam esse profanatam, & hinc necessario reconciliandam. Narrant auctoritate S. Antonini, qui part. 3. Summ. Theol. c. 6. §. 4. cum Hostiensis dicit: *Si corpus defuncti excommunicati Ecclesiam polluit, multo magis, cum consecrationis Officium peragitur per eorum os & manus, qui excommunicationi*

O o 5

subja-



*subiacent.* Alii dicunt, ne quidem valide consecratam esse Ecclesiam, & hinc reconciliari non posse: ast cum in nullo Juris textu delectetur invalida consecratio ab excommunicato facta, presentis tempore censetur valida. Cum ergo nil certi statui possit, casu hoc rarissimo fors emergente consulendus Episcopus, ipsiusque iudicio standum erit. *Pontas.*

CASUS VI. Palemon Justinum in Ecclesia percussit, graviterque ad effusionem sanguinis usque vulneravit, adeo ut polluta fuerit Ecclesia. Quo vix facto Parochus in eadem Ecclesia celebravit, ut parochiani possent audire Missam: erat enim dies festus.

ꝑ. Putant aliqui, Ecclesiam manere pollutam, etsi post profanationem ibi Missa celebrata fuerit, nec absque gravi peccato denuo celebrari posse ante reconciliationem. Sunt quoque, qui tenentur oppositum. In hac opinionum varietate tutius erit eam reconciliare. *Pontas.*

CASUS VII. Joannes exorta lite Jacobum in Ecclesia repetitis baculi ictibus gravissime percussit, fugientemque extra fores Ecclesiae stans adhuc intra Ecclesiam sclopo trajecit.

ꝑ. Ecclesia fuit polluta, si baculi ictibus notabilis sanguinis effusio facta est; imo etsi sanguis primum extra Ecclesiam fluxerit. Non autem censetur polluta per explosionem sclopeti, etsi Jacobus consistens in Ecclesia exploserit, & stantem extra Ecclesiam occiderit. Notandum hic, quod si effusio sanguinis etiam notabilis non sit per actionem graviter peccaminosam, ut inter rixas lususque puerorum potest contingere, Ecclesia non censetur polluta. *Pontas.*

CASUS VIII. Ibrahim Turca & Daniel Judæus in Ecclesia Cathedrali conveniunt, ducti curiositate videndi ritus divinatorum officiorum. Judæus percussit Turcam, qui, licet sanguis non fluxerit, paulo post in domo vicina obiit. Aut, quin moreretur percussus, multum sanguinis ex vulnere fluxit.

ꝑ. Ecclesia fuit polluta in utroque casu. Idem dicendum foret, si quis occideretur auctoritate Judicis legitimi in Ecclesia, etiam sine effusione sanguinis, ut si reus strangularetur. Ratio est; quia talis Judex, etsi justus, injuria afficeret locum Deo sacratum: *ipsa polluitur*, inquit Sylvius, *ob injuriam non personæ, sed loco factam.* *Pontas.*

CASUS IX. Cum Joannam inter & Charlottam rixa esset orta in Ecclesia, hæc illius collo apprehenso ita constrinxit fauces, ut ei vix non omnem interceperit spiritum; avul-

sa vero ex ipsius manibus & in suam delata domum paucas intra horas de vita periclitatur.

ꝑ. Ecclesia pro polluta non est habenda nisi secuta istius foeminae morte; interea tamen a Parocho intermittenda est celebratio Missæ. Et si mors dictæ foeminae non sequatur, non est reconciliatione Ecclesiae opus; quia illa polluta non censetur, si foemina ista non moriatur. *Cabassut.* Juris Can. Theor. & prax. l. 5. c. 21. in fine. *Pontas.*

CASUS X. Asdrubal & Achilles singulari in platea dimicantur certamine, in quo unus eorum graviter vulneratus fugit in Ecclesiam, ubi post horæ quadrantem ex accepto vulnere obit.

ꝑ. Ecclesia non polluitur ob hanc necem. S. Antonin. 3. p. Summ. Theol. tit. 12. c. 6. §. 4. *Si autem foris percussus, inquit Sylvius, ad Ecclesiam fugiens ibi vel moriatur vel sanguinem fundat, non polluitur; quia in ea nihil fit injuriosum.* *Pontas.*

CASUS XI. Patufius ab aliquot mensibus furiosus die Paschatis quendam intrat Ecclesiam sclopum minorem manu tenens, quo se ipsum trajicit.

ꝑ. Ecclesia hac nece non profanatur, utpote haud voluntaria; & ideo a Parocho celebratio Missæ intermittenda non est. Eadem interfectionis hujus ratio est juxta S. Antoninum, ac si quis per avulsam a pariete Ecclesiae lapidem enecaretur. *Pontas.*

CASUS XII. Athenagoram non nemo persequitur usque in Ecclesiam, eum interfecturus: in urgentissima hac propria vitam tuendi necessitate ipse suum occidit adversarium, quin tamen id intenderit.

ꝑ. Non polluitur Ecclesia per hoc homicidium; dummodo moderamen inculpatæ tutelæ servatum fuerit: de hoc si rationabiliter dubitari possit, consultius foret reconciliare Ecclesiam. *Pontas.*

CASUS XIII. Elnus & Basilius in Ecclesiae specu subterranea altercantes eo deveniunt, ut unus alterum occiderit.

ꝑ. Non fuit polluta Ecclesia, cum homicidium hoc extra Ecclesiam perpetratum fuerit, saltem nisi specus ista destinata sit ad sepulturam fidelium. *Pontas.*

CASUS XIV. Parochus dum actu ad altare operaretur die festo, & jam prope ad consecrationem venerat, quispian per ficarium in Ecclesia occiditur.

ꝑ. Inchoato jam Canone debet continuari Missa, id quod rubricis Missalis Romani conforme est. *Pontas.*



CASUS XV. Durante obsidione urbis, & hostibus ultimum jam assultum parantibus, viri ac foeminae tumultuatim in Ecclesiam sese receperunt, ibique alii adulteria commiserunt, alii coitum conjugalem perfecerunt.

ꝑ. Ecclesia non censetur profanata per has actiones, si sint occultae: *Praelati, inquit Sylvius, non debent occulta crimina revelare iustificando, seu reconciliando Ecclesias.* Verum si essent publicae ac notoriae, reconciliari deberet Ecclesia. *Pontas.*

CASUS XVI. Ecclesia fuit polluta per homicidium: num & coemeterium fuit pollutum?

ꝑ. Si coemeterium Ecclesiae contiguum est, coemeterium quoque polluitur. Polluto autem coemeterio, non ideo etiam Ecclesia, licet coemeterio contigua, pro polluta habenda est; quia juxta declarationem Bonifacii VIII. *accessorium naturam sequi congruit principalis, & non vice versa.* *Pontas.*

CASUS XVII. Anselmus Parochus ex commissione Episcopi pollutam suam reconciliavit Ecclesiam; sed non nisi aqua benedicta sale mixta usus est.

ꝑ. Si Ecclesia antea non fuit consecrata juxta ritus in Pontificali praescriptos, valida est haec reconciliatio. Si vero Ecclesia solemniter fuit consecrata, Parochus uti debuisset aqua Gregoriana ab ipso Episcopo benedicta & adhiberi solita, cui miscentur vinum & cineres. Verum non adeo certum est, reconciliationem per aquam benedictam communem, quam Canonnes *aquam exorcizatam* dicunt, absolute esse nullam. Haec dicta de reconciliatio Ecclesiae etiam intelligenda sunt de reconciliatio coemeterii. *Pontas.*

CASUS XVIII. Antonius Aedituus frequenter prandet in Ecclesia, maxime tempore paschali ac festis solemnioribus, ut promptus suo fungatur ministerio.

ꝑ. Sola necessitas eum a peccato excusare potest: Ecclesia enim est locus orationis; hinc peccat Antonius contra reverentiam loco sacro debitam. *Pontas.*

CASUS XIX. Damarinus dum Ecclesiam adit, semper secum habet canem.

ꝑ. Si monitus non abstinerit, toties peccat, quoties cum cane venit in Ecclesiam. Turcis grave crimen est, si quis canem secum sumat, imo vel intromittat in sanum Mahometicum. Et qua ratione tam exilui momenti res videri potest Christianis palpabilis haec indecentia ac ignominiosa deordinatio. *Pontas.*

CASUS XX. Cujus est reconciliare Ecclesiam pollutam?

ꝑ. So-

ꝑ. Solius Episcopi, aut ex ejus commissione Presbyteri. Pollutio publica exigit reconciliationem publicam. Presbyter celebrans in Ecclesia polluta peccat quidem; irregularitatem tamen non contrahit. *Fromageau.*

CASUS XXI. Potestne domus regularis, claustrum aut Ecclesia vendi, elocari, aut in proventus annuos concedi homini privato ad usus civiles ac profanos?

ꝑ. Non penes Episcopum, sed solum penes Papam est potestas haec concedendi. *Fromageau.*

Vide *Patronatus.*

## ELECTIO.

1. *Electio* nil aliud est quam personae evelctio ad dignitatem Ecclesiasticam, Officium, aut Beneficium vacans. Via Electionis semper habita est pro vera ac primaria janua, per quam pastores in ovile Domini intrare debeant.

2. *Electio* fit vel per *Scrutinium* vel per *Inspirationem* vel per *Compromissum*. *Primo modo* ab Electoribus tres inter se designantur ad colligenda reliquorum suffragia. *Scrutinio* finito fit promulgatio; & ille, pro quo stat major ac sanior suffragiorum pars, canonicè est electus, quin suffragatores sua vota variare aut revocare queant. *Secundo modo* Electores quempiam nominant sine conventionè praevia; & nemine reclamante in eundem unanimiter omnes collimant quasi a Spiritu Sancto inspirati. *Tertio modo* communitas circa eligendum dissentiens, aut dissensiones praeravere cupiens uni aut pluribus ex gremio committit negotium Electionis, ac in illos quilibet jus suffragii sui transfert. Si compromissarius eligeret indignum, Electoribus salvum peristeret jus procedendi ad novam Electionem, nisi approbassent Electionem factam a compromissario. *Compromissum* est irrevocabile, quando compromissarii jam processerunt ad Electionem; re vero adhuc integra revocari potest.

3. Laici non gaudent jure Electionis ad Beneficia, imo nequidem possunt constitui in compromissarios in nulla Electione Ecclesiastica.

4. Formalitates, quae in Ecclesiis particularibus in usu sunt, observari debent, nisi sacris Canonibus advertentur. Sic & Electiones factae contra formam praescriptam ex titulo fundationis Beneficii, aut contra concessum particulari Ecclesiae privilegium sunt nullae.

5. Nulla Electio fiat unquam clandestine; ea debet esse libera. Quod attinet Electiones in monasteriis Ordinum primariis,